
[illegible] uitij [illegible] i [illegible]

[illegible]larij

PRÆCEPTA,
SEV DECRETA
Piarum Institutionum
SACRÆ CENTVRIÆ
BARBERINIENSIS
DE MVGELLO
SVB INVOCATIONE ASSVMPTIONIS
MARIÆ VIRGINIS
Et Sanctorum
IOANNIS BAPTISTÆ
Domini Præcursoris,
ET ANTONINI
Archiepiscopi Florentini.





FLORENTIÆ
Ex Typographia Petri Nestei, M.DC.XXXV.

Superiorum Permissu.

Vt Typis excudi valeant Florent. præmiſsę Conſtitutiones, ſeù Decreta Sacræ Centuriæ Barberinienſis, licentiam concedimus, & impertimur, ordinibus conſuetis ſeruatis. 13. Maij 1635.

Petrus Nicolinus Archiepiſc. Florent.

Imprimatur. Die 14. Maij. 1635.

Fr. Clemens Inquiſit. Gen. Flor.


PROEMIVM.



ONET ille, cui nota sunt omnia, vt mortales semper vigiles esse studeant; ne in hoc vita nostra cum vigili hoste conflictu (diuina poscente iustitia) opprimantur inopinantes: & precipuè fidelium Animarum curæ munera obeuntium, id longè plurimum interesse videtur. Quod non solum in multis sapientum Patrum compertum est monumentis, quæ Spiritu sancto praeunte ad nostram doctrinam edita fuere; verum etiam in sacris litteris patet, quæ ex illo perenni, & vberrimo diuini Numinis omnium scientiarum fonte manarunt. Ex quo nos, complures Sacerdotes (Auctore verò, & impulsore Ioanne Ciamponio S. Gauini Adimaris Plebi præfecto) Diuinam Legem sectantes, sanctorumque Patrum dictis audientes, vnà cum constanti piorum Hominum conspiratione, Societatem hanc erigendam curauimus. Futuræ etenim Gloriæ dulcedine illecti, operæprecium esse censuimus, inter mortales degentes, otio minus torpescere; at preces, & sacrificia Deo offerendo, quàm diligentissimè niti, vt vigilantia, & pietatis exemplo ad salutem nostram anhelantes, animabus quoque nostro regimini demandatis, quæ profutura sint ad æternam Gloriam comparandam affatim demonstremus, & ad immarcescibilis Gloriæ triumphos vnà cum illis inuitemur ardentiùs. Deinde vita functis, Confratribus super-

per-


perstitibus sacra vicissim nobis facientibus, Animæ nostra sacrificijs expurgatæ (Dei gratia suffragante) Gloria impartiantur æterna. Cæterum, vt vtroque tempore nostra, & posterorum ætatis possit hæc Societas constanter vigere, & rectè iugiter gubernari, nullaque temporis iniuria, tàm laudabilis consuetudo in desuetudinem abire, has, quæ sequuntur Leges, perpetuæ memoriæ commendando Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi nostri, siuè ab eius Reuerendiss. Vicarij auctoritate firmandas, condendas mandauimus.




PRÆ-

PRÆCEPTA SEV DECRETA

Piarum Institutionum SACRÆ CENTVRIÆ BARBARINIENSIS DE MVGELLO.



DE CONGREGATIONIS TITVLO. Cap. I.



OCIETATEM nostram Dei Genitricis Mariæ Assumptioni dicandam censuimus: nam eam humiliter deprecantes, nec non ss. Ioannem Baptistam Dei Præcursorem, & Antoninum Archiepiscopum Florentinum, vt ipsam sibi commendatam esse dignentur, eorum pijs supplicationibus apud Deum vota nostra irrita minus esse reddenda pro comperto habuimus. Non fiet certè Genitrici pro nobis deprecanti à Filio repulsa, cum in ea concurrant tot Virginis, & Matris amoris insignia.

DE PROTECTORE.
Cap. II.

PRotectorem, & acerrimum defenſorem Societatis noſtræ Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum PETRVM NICOLINIVM Archiepiſcopum Florent. Præſulem noſtrum exorauimus; & ſupplicíter à Deo poſcimus, vt ab eiuſdem in Archiepiſcopatu ſucceſſoribus eadem in poſterum afficiamur gratia, & dignitate; ipſorum nanque patrocinio aſſeueranter credimus, Societatem noſtram non ſolum temporis vetuſtate minus ob ruendam eſſe, cæterum firmiorem in dies (præſtante Deo) validioremque fore.

DE NVMERO FRATRVM, ET eorum honeſtate. Cap. III.


SOcietatis noſtræ Fratres numero centum eſſe mandamus: quorum ſeptuaginta duo Sacerdotes, cæteri omnes Laici, accuratè deligendi, illis aſciſcantur. Et quamuis Fratres in Societate hucuſque aſcripti prædicto numero (quod Superioris aſſenſu peractum eſt) longè ſuperſint. Sancimus verò poſt hac his, qui vita ceſſerint, nullum eſſe ſufficiendum, quouſque Fratres ad centum fuerint redacti; & tunc Sacerdoti Sacerdos; & Laico Laicus ſufficiendus erit.

Diuino Cultui ſponte mancipatos Lucernis accen-

ſis, & ſuper candelabrum poſitis, in ſacris litteris comparari neminem præterit. Quare Sacerdotes noſtræ Societatis hortamur in Domino, vt memores eſſe velint, ſe factos eſſe ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus. Ita igitur modeſtè viuant, moreſque ſuos componant, vt eorum colloquia, & actiones Domino probatæ à cunctis Fidelibus venerentur, & ex illis hauriant, quod ſtudioſè virtutis amore imitari adnitantur. Ex quo decreuimus ad hanc Congregationem noſtram eos eſſe dignè cooptandos, qui fuerint ſemper probitate morum, & vitæ honeſtate hominibus conſpicui, & Deo (quod potiſſimum eſt) longè gratiſſimi.

DE FRATRIBVS SVPRA Numerum. Cap. IV.

SI quis autem Eminentiſſimæ dignitatis Cardinalatus, ſiuè Archiepiſcopatus, aut Epiſcopatus munere fungens; nec non ad præſens Reuerendiſſimus Vicarius Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Archiep. noſtri, & alij in eadem dignitate ſucceſſores, à noſtris Confratribus orati, in Societate noſtra cooptari minus abnuerint, ſupra numerum cenſeantur aſcripti, & priuilegiorum omnium participes, ac præ magnitudine rerum à ſe gerendarum nullis oneribus exiſtant obnoxij.



DE SOLEMNI CONGREGATIONIS die. Cap. V.

QVarta quæque dies mensis Iunij, & ea die festo præpedita, postera dies legittima erit, qua Confratres conuentum faciant in Ecclesia S. Siluestri de Barberino de Mugello annuam Societatis nostræ solemnitatem veneraturi. Quæ erit Primarium Domicilium nostræ Congregationis quousque videbitur ipsius Patronis.

DE PRÆCEDENTIA Cap. VI.

IN obcundis Congregationis nostræ muneribus, nullà præcedentiæ ratione habita, nemo nostrum credere audeat, superiorem, aut inferiorem locum sibi vindicando, in consessu, siuè in incessu dexteram, sinistramue petens, quicquam suæ dignitatis iacturam fieri; aut digniorem à minus digno vlla affici iniuria. Non etenim Vir loco, sed Viro locus honestandus est: & qui hominibus præ esse studet, Deum ipsum niti anteire videtur; memores tandem esse debemus, Deum elatis resistere humilibus autem gratiam affluentem dare. Ministri verò, non ratione propriæ dignitatis, at officij causa, dum Societatis muneribus fungentur inter se præcedentiæ Legibus, & vsui pareant. Si quis autem

Metro-

Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ Canonicatus dignitate fungens, nostræ Congregationi quoquo modo interfuerit, Præposito excepto (vt de iure, aut consuetudine est) insigniorem sibi promereatur locum.

A QVIBVS, ET QVOT SOCIETAS *gubernari debeat.* Cap. VII.

SVmma Congregationis nostræ potestatis, & auctoritatis penes nouem Viros ex Confratribus Sacerdotibus esto. Quorum Primus præ magnitudine officij, & potestatis, Præpositus nuncupabitur; Secundus, Secretarius; Tertius, Quæstor, siuè Depositarius. Sex reliqui Consiliarij munere fungentur. Penes quos summa totius Congregationis adeò sit innixa, vt ne aliàs quispiàm ex Societate nostra, Præposito, & Collegis inconsultis, quippiam moliri valeat.

DE SEX PRAEFECTIS. Cap. VIII.

SEx quoque Præfectos ordinandos censuimus, qui primo quoque anno eligendi, seù confirmandi erunt, vt in Cap. XI. dicetur. Et nostræ Societatis commodis inseruire teneantur prout diffusius infrà dicetur in Cap. XXI & XXIV.

Quorum primus eligatur pro Plebatu S. Gauini Adimaris.

Se-

Secundus S. Michaelis à Monte Cuccoli, S. Reparatæ à Pimonte, & ss. Hypoliti, & Cassiani de Mercatale.

Tertius S Petri ad Seuem, & S. Agathæ.

Quartus S. Ioannis in Prætoio, & S. Petri à Vaglia.

Quintus S. Andreæ à Cercina, & S. Stephani in Pane. In qua Præfectura fratres Florentiæ degentes adijciendi videntur, cum ad eam proximi existant.

Sextus S. Mariæ à Carraia, s. Martini à Sexto, & S. Seueri Alegri. Qui cuncta studiosè præstare adnitantur, quæ in cap. supradictis curanda mandabimus.

DE SVPELLECTILIS CVSTODIBVS Cap. IX.

DVo insuper Asseruatores, seù supellectilis Custodes deligantur, qui, Barberinum colentes, vbi est annua solemnitas Societatis nostræ recolenda, his, quæ Societati vsui erunt, præsto esse valeant. Quorum officium sola ipsorum antiquabit voluntas, nisi moderatoribus prædictis aliter Societati meritò expedire visum fuerit.

QVOMODO MODERATORES *eligi debeant*. Cap. X.

NEminem fugit, homines magis, aut amore, aut odio, quam veritatis, & iuris norma sæpe plura iudicare. Ex quo ne in eligendis moderatoribus, seù Gubernatoribus nostræ Congre-

ga-

gationis, turbulenti motus oboriantur, qui mentis Confratrum tranquillitati tenebras offundant, censuimus animi nostri consilia sorti, immò Diuinæ voluntati credere potius, quam sententias nostras per suffragia in apertum referre. Nominibus igitur omnium Confratrum Sacerdotum in Sitellam, Vrnamuè coniectis, Prępositus, Secretario, Depositario, & Consiliarijs pręsentibus (Diuino auxilio implorato) agitata sitella, vt sortes pariter æquatæ iaceant, & nulla subsultet, siuè in Pileum depromptis, vt sæpe fert occasio, mandet, cui id muneris imponere sibi videbitur, vt sortio fiat.

Quem primum sors dederit, Præpositus; secundum, Secretarius; tertium Quæstor, siuè Depositarius esto: sex cęteri subsequentes Consiliarij sunto. Et hic sortes ferendi modus quotannis adamussim seruabitur.

Quando verò schedulæ, siuè tesseræ omnes ex Vrna, 1
alioue magis vsitato vase fuerint depromptæ, à moderatoribus comitia denuo habeantur. Et tunc temporis caueant Gubernatores, vt, omnium Sacerdotum censu (Præposito iubente) à Secretario diligenter habito, omnes in Sitellam Schædulæ inijciantur; ne quis inconsultò præteritus verteret vitio, quod forsan negligentiæ ducendum esset: ex quo magno nostræ gloriæ dispendio dissidia oboriri possent.

Si quis ad aliquod munus obeundum per sortem fue- 2
rit euocatus, & minus affuerit, Nomine ipsius in sitellam reposito, alius per sortem deposcatur.

Si quis ad aliquid officij sorte electus fuerit, idque 3
obi-

obire neglexerit, siuè abnuerit, tessera confracta, partem argentei nummi, quæ vulgo libra dicitur persoluat, & alius statim per sortem euocetur.

PRAEFECTI QVOMODO ELIGI debeant. Cap. XI.

OMnes Præfecti à nouo Præposito, vnà cum Collegis in die solemnis Congregationis, aut Veteres confirmentur, aut noui eligantur: hac tamen ratione habita: vt sint idonei, & caritatis valde studiosi, vt tantum munus, à quo pendet totius Congregationis peculiaris summa, sciant, velint, & satis commodè ex sententia nostra præstare valeant. Monemus tandem caritatis, & pietatis virtute præstantissimum quemque omnibus anteferendum esse.

DE SVPELLECTILIS CVSTODIBVS eligendis. Cap. XII.

SI vnus aut alter supellectilis Asseruatoris officium ambierint, suffragiorum scrutinio à nouem Virorũ arbitrio eligantur: sin autẽ circum id nulla præsentatio fiat, moderatores omnes in eum locum conuenient, quem commodiorem suis Collegis ad nutum Præpositi Secretarius indixerit, & ibi consilio inito, quidquid faciendum decreuerint, maturè perficiant.

DE

DE SVBSTITVENDIS IN LOCVM *Defunctorum.* Cap. XIII.

SVfficiendi in locum Fratrum, qui vita cesserint a nouem Virorum arbitrio, vnà cum Præfectis per suffragiorum scrutinium eligantur infra duos menses postquam illi mortem obierint; siuè in die solemnis Congregationis Præpositi arbitratu delectus fiet, hac lege seruata. Singuli quindecim Viri prædicti singulos tantum valeant in medium deligendos afferre, si tot prænsatores fuerint; & is, qui cæteris ambientibus præstiterit votis sibi suffragantibus, Defuncti fratris sortiatur locum; & in paritate votorum, res referatur ad sortem.

DE ALIO MIGRANTIBVS. Cap. XIV.

ILli verò, quibus solum vertendum esset, si longissimè affuerint, & à societate desciscere, aut ipsa abdicari noluerint, aliquos in suo loco sufficere possint in Agro Mugellano, qui pro ipsis valeant adimplere, & debeant, quæ si illi Fratres adessent præstare tenerentur: præesse autem quoquomodo Societatis administrationi vllo pacto nec sufficiens, neque suffectus queat.

DE MVNERIBVS AB VNOQVOQVE *præstandis*. Cap. XV.

1 OBsecramus, & in Domino obtestamur, immò præcipimus, vt vnusquisque Fratrum, nullo discrimine habito solemni Congregationi die indicto quotannis celebrandæ in statuta Ecclesia interesse studeat; ne munera sibi delata defugisse esequi videatur, pensum iniunctum absoluat, & deinceps, quę sibi iniungenda forent, obire commodius valeat; & tandem, vt maiori qua possimus frequentia tantam veneremur solemnitatem.

2 Illum verò, qui absque necessitate, aut nulla iusta causa præpeditus Congregationi prædictæ adesse neglexerit, è Societate exulem esse sancimus, vt infra in cap. XVI. dicetur.

3 Senio confecti, aut graui infirmitate decumbentes, aliaque iusta causa detenti assertione fide digna de sua absentia Præpositum certiorem facient; & apertè causam proferent, ob quam minus aduenerint; aliàs vt supra pænam inobedientiæ dabunt: & ab alijs oneribus ab vnoquoque præstandis non arbitrentur esse penitus immunes.

4 Vnusquisque Sacerdos nostrę Societatis in die Congregationis in Ecclesia prædicta sacrum faciet, Laici quoque faciendum curabunt.

DE ANNVA RECENSIONE *facienda*. Cap. XVI.

IN die Congregationis ab eo, cui à Præposito mandatum fuerit annua recensio fiet vnius cuiusque Fratrum. Qui singuli ante conspectum Præpositi, & eius Collegarum accedentes, nummum argenteum sex partibus demptis (vulgo libra dicta) Depositario persoluant pro expensis factis in apparatu Ecclesiæ ceræ, & rebus alijs necessitate poscente: & pecuniam, & soluentis nomen ipse Quæstor diligenter seorsum indicet. 1

Si Depositario tantum pecuniæ fuerit, quantum pro dictis expensis sat erit, omnes immunitate gaudeant: ne aceruantes pecuniam Fidelium animos suspicione impleamus, alienas domos (vt aiunt) exhauriendò. 2

Si quis, vt supra quoquo modo detentus Congregationis solemnitati adesse nequiuerit, suum tamen prorsus esse mandamus, vt per alium ibidem sacrum faciendum, stipemque, si opus fuerit persoluendam curet. 3

Ille verò, qui omnia prædicta præstare oscitanter omiserit Societate multabitur, nisi, mense nondum exacto à die Congregationis, se diligenter purgauerit apud Præpositum, casu aliquo aduerso, non desidia id euenisse: etsi de veritate ambigatur, & à culpa minus exemptus à Præposito, vnà cum suis Collegis censeatur (animo æquis examinato ponderibus) & nisi veritas 4

testimonio probatissimæ æstimationis Viri dilucidè pateat, alius in eius locum à Præposito, Collegis, & Præfectis sufficiatur eo modo, quo supra dictum est in cap. XIII. qui suæ saluti, & Defunctorum Fratrum miserationi melius consulere sapiat.

DE HIS, QVI IN DIE CONGREGATIONIS *in cura remanere debeant.* Cap. XVII.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus Niccolinius, cuius magno nostro gaudio premimur imperio, nostramque Societatem paterna caritate ab eo protegendum quoque putamus, de infra dicendis à nobis consultus, votis nostris propensè anuuens, sanciendum ita mandauit. Vt in die Congregationis solemnitati indicta in vnaquaque Præfectura, prout videbitur Plebanis illius tribus, & nisi affuerint Plebani, arbitratu duorum ex Confratribus eiusdem municipij, qui fuerint maiores natu remaneat in cura Sacerdos, qui suæ, & finitimarum Ecclesiarum curæ pro nostræ Societatis fratribus inuigilare teneatur; ne Christi Fideles, qui ea die panem essent petituri, Pastoris absentia, fame perire cogantur: & nos arbitratu nostro bonum sectantes, optimum, quod certè à Deo assequimur, parentes eius præceptis; deferentes Animarũ curas, consultò amittamus. Singuli verò, vt supra iussi, & ad amussim delecti à Plebanis; & in eorum defectu ab alijs duobus fratribus grandioribus natu, in eadem die

sacrum

sacrum facient iuxta sanctiones nostras, stipemque, si fuerit necesse, persoluendam transmittant; & maiori quo poterunt studio onus sibi iniunctum Dei amore libentissimo animo perferre adnitantur.

DE QVINIS MISSIS PRO DEFVNCTIS *Fratribus celebrandis.* Cap. XVIII.

1 PRo singulis nostræ Congregationis Fratribus vita functis, Sacerdotes quinquies corpus Christi incruentum Domino offerre teneantur: itemque Laicorum, vt offerri studeant, interesse mandamus.

2 Pro singulis verò supellectilis Custodibus Sacerdotes semel tantum, & Laici, vt offeratur curare teneantur; & id eorum laboris meritò, cum non sint in Fratrũ numerum relati. Et mense nondum exacto à die intimationis à Præfectis faciendę, officio satisfecisse suo, Præfectum illum, cui vnusquisque subditus erit, coram, aut per litteras faciat certiorem.

3 Monemus autem, vt in omnium nostrum memoria insideat, Societatem hanc caritatis fundamento hærere, cuius meritò excelsa nobis in Cælo construitur Gloriæ sedes, si omni officio, & pietatis studio cuncta hæc præstare nixi fuerimus, Caritatis verò immemorum desidiam grauissimo supplicio Auctori Diuinæ iustitiæ luendam esse putamus: Cum ex fœdere explicitè, siuè implicitè mutuò inter nos spontè conflato naturalis obligatio, & pacta vera gignantur, quæ cæteris legibus

præ-

præstare dicuntur. Et falsò pietatis muneribus se functos esse asseueraturos (quod nunquam fore putamus) pæna, & quidem magna ab omnipotenti Deo plectendos, non est ambigendum; cum mentientes, non homines fallere, sed Deum contémnere ausi videantur.

SVFFECTVS IN LOCVM DEFVNCTI ad quid teneatur. Cap. XIX.

VNusquisque Sacerdos pro Anima Fratris vita functi, cuius in locum fuerit suffectus, missas quinque celebrare tenetur; Laici verò tenentur, vt offerantur, curare: & Præfectum sui municipij intra mensem à Societatis ingressu de adimpleto munere certiorem faciet, aliàs mense exacto, nisi constiterit Præposito extra noxia suffectum esse, alius in eius locum sufficiatur modo, quo in cap. XIII. sancitum est.

QVO ORDINE MISSAE PRIVATAE celebrandæ in die Congregationis. Cap. XX.

ANtequam adueniat dies solemni Congregationi indicta, singuli Præfecti commonefaciant Secretariũ, an aliquis ex confratribus (quod Deus auertat) quinas missas pro Fratribus vita functis celebrare, aut celebrandas curare omiserit. Et Secretarius veritatem edoctus, in ipsa Congregationis die summo mane post primam missam de Spiritu sancto quotannis pri-

priuatè celebrandam, in Sacristia in Albo constare operetur quot missæ fuerint caritatis immemorum desidia omissæ; vt primi accedentes sacrum facturi, tot pro ipsis celebrare festinent.

Reliquas verò missas vsque ad centum, siuè de Festo, siuè de Defunctis pro Anniuersario omnium nostræ Congregationis Fratrum Defunctorum celebrandas mandamus.

Vnusquisque Sacerdos cum sacrum fecerit chiragrapho adnotare dignetur an munere suo, aut pro alio functus fuerit.

MISSAE SOLEMNES A QVIBVS canendæ, de spirituali sermone, & Tertia. Cap. XXI.

SEcretarij munus erit in die Congregationis solemniter canere Missam de Anniuersario pro Animabus Societatis nostræ Defunctorum Fratrum; cui ad Altare inseruient pro Diacono, & Subdiacono duo ex Consiliarijs, quibus mandauerit Præpositus. Cui ministerio omnes Fratres intersint: & Præposito in conspicuo loco seorsum paretur sedes. 1

Missa completa, spiritualis habeatur oratio à Præposito; sin autem ab alio eius assensu habenda erit, tunc inter Missarum solemnia post Euangelium. 2


Sermone habito, canetur Tertia; & Secretarius Pluuiale indutus, principali fungetur officio. Præpositus interim 3

terim, & alijquorum intererit, ornabunt se ad Missam solemniter celebrãdam de Assumptione Mariæ Virginis cum commemorationibus SS. Ioannis Baptistæ Præcursoris, & Antonini Archiepiscopi Florentini.

4 Tertia absoluta, Secretarius in Sacristiam reuersus, Præposito celebraturo inseruiet pro Ministro; Depositarius pro Diacono; & vnus ex Consiliarijs, cui à Præposito mandatum fuerit, pro Subdiacono. Deinde accedant ad Altare postquam Canitores, à Præposito prę-ordinati, dederint principium Missæ solemniter celebrandæ.

DE PROCESSIONE.
Cap. XXII.

SOlemnem Missam completam subsequetur Processio, cui vnusquisque Fratrum interesse debet, eas preces Deo effundendi gratia, vt suffragantibus nobis meritis Mariæ Virginis, & SS. Ioannis Baptistæ, & Antonini, si ad Congregationem Deum oratũ venerimus, exoratores inde discedamus. Turpe quidem esset, tanti boni veluti ad mercaturam profectos, voti minus compotes, & inanes tandem Domum redire,



ÆGRO-

ÆGROTANTE FRATRE, QVID ALII, & inprimis Præfecti præstare debeant. Cap.XXIII. 3

VBi primum vnusquisque nostrum rescierit, aliquem ex Confratribus grauiter ægrotare; obsecramus in Christi visceribus, vt eum visere festinet; & ipsum audacter, & fidenter moneat, si opus fuerit, vt Animæ suæ vulnera peccatorum labe infixa, Sacramentorum medela curare adnitatur. Quorum virtute Anima Curis expedita, hostis incursus non pauet: At Deum, quem amauit; quem ipsa quæsiuit, non vt sæuum, & ira Iudicem incensum, at veluti Patrem miseratione plenum, filio ad se redeunti blandientem promeretur videre. Fortis, & potens est Deus in prælio, in quo seruos suos, si præmi, non tamen opprimi patitur in multitudine misericordiæ suæ. Hæc & his similia frater fratri suggerat proximè morituro.

Fratris Anima efflata, statim Sacerdos, qui eius mor- 4
ti interfuerit, aut prius rescierit Præfectum sui municipij de illius interitu scientem faciat: vt ipse quoque Tribules suos, aut sibi subditos diligenter moneat; & insuper alios Præfectos certiores faciat, vt singuli suæ ditioni subiectis præcipiant, vt quamprimum caritatis satis muneri faciant, quinas missas celebrando modo, & forma, qua supra decretum fuit.

Assertiones vniuscuiusq; fratrum de adimpleto mu- 5
nere in libellis descriptas, singuli Præfecti in die Gon-

gregationis Præposito tunc imperanti accuratè ostendant, vt ipse animis desidia infectis pænas, quas supra diximus pendendas curet; & ad caritatem procliues, expeditiores ad optimè promerendum existant. Vberiores namque in bonis operibus alit profectus sacra, & studiosa æmulatio.

DE POTESTATE PRAEPOSITI. Cap. XXIV.

1 PRæpositus plenum ius habeat cætus nostri omnibus imperandi, vt nostræ Congregationis institutionibus pareant: memoria tamen repetat, animatam iustitiam maximam rationem ducere æquitatis; & summum ius, quandoque summam iniuriam interpretari. Cui verò si quis obtemperare renuerit, per annum ex societate abigatur; & tunc temporis mortem obeunti, nostræ Congregationis caritatis opera non suffragentur, cum is, qui iustitiæ muneri non paret, Dei præceptis resistere censeatur: & ibi fælicius imperatur, vbi studiosius, & alacrius obeditur.

2 Si quid controuersum, aut dissentiones inter fratres (quod Deus auertat) exortæ fuerint, eas Præpositus vbi primum rescierit, dirimere quam celerrimè studeat: & insuper caueat, ne in die solemnis conuentus iurgium, aut dissidium vllum gignatur; Nam si diligimus vitam, & auemus dies videre bonos inquiramus pacem, & assequemur eam.

D

Si quid

Si quid aliud præterea, quæ à nobis Decreta sunt, Societati curandum esse videbitur, exposcente necessitate, Præposito ius sit imperandi suis Collegis, vt in Barberinum, aut in quemuis alium locum, quem illis commodiorem duxerit, conueniant, & per Secretarium indixerit. Et conuocato Concilio, quicquid per sex illorum suffragia fuerit Decretum, firmum ratumque à Confratribus habeatur. Nam illis tantum auctoritatis iniungimus, vt omnium, quæ è Societate nostra fore arbitrabuntur diligenter curam agere valeant; At Leges innouare, nec veteres abrogare absque consensu totius Collegij per suffragia duarum partium Sacerdotum exquirendo, nullo modo possint. Omnium nostrum menti hærere cupimus, eos, qui benè imperant alacriter paruisse necessum est; & qui modestè parent, qui aliquando imperent, digni esse videntur. 3

Si Præpositus, poscente Lege, nondum suo munere functus, mortem obierit (pro quo senas Missas ab vnoquoque nostrum celebrandas mandamus) Secretarius potestatem, & Præpositi munus subeat: & primus ex Consiliarijs Secretarij munere fungetur. Et in locum Consiliarij sufficiat ex Confratribus Præpositus quem magis idoneum duxerit. 4

Sin autem Secretarius, aut Depositarius vita cesserit; ex consiliarijs deligat Præpositus, quem potissimũ censuerit pensum sibi iniungendum diligentius accuraturum: Et in locum Consiliarij, quem ipse Præpositus volet ex Societate nostra plenó iure substituat. 5

6 Si quis itidem ex Consiliarijs, aut Præfectis vitam dimiserit, in eius locum sufficiatur à Præposito, qui merito deligendus sibi videbitur.

7 Pro cęteris singulis Moderatoribus, nondum suo munere adimpleto, Animam agentibus, ab alijs superstitibus Gubernatoribus, dignitatis causa, & laboris mercede sex Missas celebrandas sancimus, & non quinque, vt supra mandatum est. Moderatores vocamus Secretarium, Depositarium, & sex Consiliarios, quorum Præpositus est Princeps: Præfectos itidem eiusdem gratiæ, & priuilegij participes esse sancimus, cum præ alijs Confratribus maiores subeant labores.

DE SECRETARIJ OFFICIO.

Cap. XXV.

1 FRatrum Nomenclaturæ siuè Catalogi Societatis nostræ liber penes Secretarium erit, in quo iuxtà Alphabeti seriem, clarè, & distinctè Nomina Confratrum litteris consignata extent: & insuper in locum Defunctorum nomina quoque eorum, qui fuerint suffecti, eadem Lege seruata, accuratè conscribantur.

2 Nominibus Fratrum vita functorum Crucis signum infigat, vt in annua recensione habenda, Nomenclator Defunctorum nomina consultò præterire valeat: ne quis exhausto pudore, aliqua scurrili responsione ijs, qui tunc aderunt, cum scandalo risum excutiat.

3 Si quis stipem, quando soluenda erit, repræsentare, aut

aut respectiuè referendã omiserit, Nomen institutis nostris minus obtẽperantis in eodẽ libro diligenter notare curabit; & alia omnia, quæ Præposito, & suis Collegis pro bono Societatis regimine notanda videbuntur.

Nomina quoque Defunctorum Fratrum describat, quãdo à Præfectis de illorum interitu certior factus erit: & deindè an missæ (vt nostrum est) pro ipsorum Animabus celebratę fuerint. 4

In die Congregationis à Secretario, suo munere functo, Nomenclaturæ librum vetus Præpositus accipiens, Nouo exhibebit; & ipse suo Secretario seruandum mandabit, vt eadem munera in annuo imperio sibi ascripto iugiter adimplere valeat. 5

DE DEPOSITARII OFFICIO.

Cap. XXVI.

QVæstoris, siuè Depositarij partes erunt primò vt recepti, & expensi Codicem asseruet: & omnia, quæ ex vsu erunt Societati, diligenter curet. Videlicet, vt in Ecclesia prædicta Fratres decenter munia sua exequi valeant. Pecuniam exigat, sumptus necessarios Præpositi assensu faciat; & exactum, & expensum dirigat in Codicem: Quem simul ac summum pensum absoluerit, reddita suæ administrationis rationę duobus ex fratribus pragmaticis, quibus nouus Præpositus mandauerit, vnà cum ea, quę superierit pecunia, nouo exibeat Quæstori; pręsente Præposito subdicto, & eius assensu.

3 Quarum singulæ quotannis Missam in honorem Assumptionis Mariæ Virginis, & Sanctarum Christinæ, & Catarinæ Senensis celebrandam curare tenentur, sub quarum inuocatione facta est hæc Aggregatio; & insuper Missas tres pro Anima vniuscuiusque Sororis, quæ vita decedet, & intra mensem à die intimationis Sororibus ipsis tantummodò à Præfectis nostris ad amussim faciendæ, vt in Capitulis nostris mandatum est, celebrandas curasse, Præfectum illum sub cuius ditione ascriptæ fuerint; accuratè moneant.

4 Nulla ex sororibus in Societate officium vllum obire valeat: neque annuæ solemnitati in Ecclesia sancti Siluestri de Barbetino recolendæ interesse teneatur. Si qua verò affuerit, lumina non aliter, ac Confratribus tàm in Ecclesia, quàm in Processione seorsum incedentibus à supellectilis Asseruatoribus dispertiantur. Nullaque alia onera, quàm quæ in præsenti Aggregationis capitulo sancita fuere, volumus iniungi.

5 In locum defunctæ sororis sufficiatur alia, quæ à Præposito Congregationis fuerit eligenda proposita: Etsi plures ambierint ea, quæ vota sibi suffragantia plura fuerit assecuta, sororis præmortuæ sortiatur locum: & nisi alia aliam votis præstiterit, rem ad sortem referendam curetur. Et pro Anima sororis vita functæ missas tres mense nondum exacto à die Congregationis ingressus celebrandas curare sussecta teneatur.

6 Sororum electio fiat per nouem nostræ Congregationis Gubernatores, & Præfectos infra duos menses à

die

dic sororis obitus; & nisi omnes, quò Præpositus per Secretarium indixerit, conuenire potuerint, aut noluerint, quicquid per decem ex eis supradictis fuerit constitutum irritum fieri nullo modo possit: etsi Præposito facienda videbitur in solenni nostræ Societatis conuentu, illius mandato parendum erit.

Assertiones de adimpletis munerib. sibi iniunctis, sorores ad Præfectum sui municipij trāsmittere teneantur intra mensem à die intimationis; quas deinde Præfecti, in Congregationis solemnitate Secretario nostro repræsentare debeant. 7

Si euenerit (quod prohibeat Deus) aliquam earum Officio minus satisfecisse suo; nisi intra mensem Præposito constiterit, id casu, non dedita opera, euenisse; modo, quo supra sancitum est, in locum illius, quæ deliquerit, sufficiatur, quæ caritatis opera præstandi magis studiosa censebitur. 8

Et ita preces apud Deum studiosè effundendo, & sacrificia offerenda propensè curando, Consorores nostræ ornabunt lampades suas oleo caritatis; & mundi huius periculis defunctæ, Diuino sponso adueniente, meritis Dei Genitricis Mariæ, & sanctarum Christinæ, & Catarinæ Virginum intercedentibus, comite prudentia, inter discumbentes ad Cælestes nuptias, à Diuina Misericordia promeritum, sibi vindicabunt locum.

LAVS DEO.

INDEX CAPITVLORVM, & eorum, quæ in eis continentur.

Et


FINIS.

terim, & alij quorum intererit, ornabunt se ad Missam solemniter celebrãdam de Assumptione Mariȩ Virginis cum commemorationibus SS. Ioannis Baptistæ Præcursoris, & Antonini Archiepiscopi Florentini.

4 Tertia absoluta, Secretarius in Sacristiam reuersus, Præposito celebraturo inseruiet pro Ministro; Depositarius pro Diacono; & vnus ex Consiliarijs, cui à Prȩposito mandatum fuerit, pro Subdiacono. Deinde accedant ad Altare postquam Canitores, à Præposito prȩordinati, dederint principium Missæ solemniter celebrandæ.

DE PROCESSJONE. Cap. XXII.

SOlemnem Missam completam subsequetur Processio, cui vnusquisque Fratrum interesse debet, eas preces Deo effundendi gratia, vt suffragantibus nobis meritis Mariæ Virginis, & SS. Ioannis Baptistæ, & Antonini, si ad Congregationem Deum oratũ venerimus, exoratores inde discedamus. Turpe quidem esset, tanti boni veluti ad mercaturam profectos, voti minus compotes, & inanes tandem Domum redire.



ÆGRO-

ÆGROTANTE FRATRE, QVID ALII, & inprimis Præfecti præstare debeant. Cap. XXIII. 3

VBi primum vnusquisque nostrum rescierit, aliquem ex Confratribus grauiter ægrotare; obsecramus in Christi visceribus, vt eum visere festinet; & ipsum audacter, & fidenter moneat, si opus fuerit, vt Animæ suæ vulnera peccatorum labe infixa, Sacramentorum medela curare adnitatur. Quorum virtute Anima Curis expedita, hostis incursus non pauet: At Deum, quem amauit, quem ipsa quæsiuit, non vt sæuum, & ira Iudicem incensum, at veluti Patrem miseratione plenum, filio ad se redeunti blandientem promereretur videre. Fortis, & potens est Deus in prælio, in quo seruos suos, si premi, non tamen opprimi patitur in multitudine misericordiæ suæ. Hæc & his similia frater fratri suggerat proximè morituro.

Fratris Anima efflata, statim Sacerdos, qui eius morti interfuerit, aut prius rescierit Præfectum sui municipij de illius interitu scientem faciat: vt ipse quoque Tribules suos, aut sibi subditos diligenter moneat; & insuper alios Præfectos certiores faciat, vt singuli suæ dictioni subiectis præcipiant, vt quamprimum caritatis satis muneri faciant, quinas missas celebrando modo, & forma, qua supra decretum fuit. 4

Assertiones vniuscuiusq; fratrum de adimpleto munere in libellis descriptas, singuli Præfecti in die Con- 5

gregationis Præposito tunc imperanti accuratè ostendant, vt ipse animis desidia infectis pœnas, quas supra diximus pendendas curet; & ad caritatem procliues, expeditiores ad optimè promerendum existant. Vberiores namque in bonis operibus alit profectus sacra, & studiosa æmulatio.

DE POTESTATE PRAEPOSITI. Cap. XXIV.

1 PRæpositus plenum ius habeat cætus nostri omnibus imperandi, vt nostræ Congregationis institutionibus pareant: memoria tamen repetat, animatam iustitiam maximam rationem ducere æquitatis; & summum ius, quandoque summam iniuriam interprætari. Cui verò si quis obtemperare renuerit, per annum ex societate abigatur; & tunc temporis mortem obeunti, nostræ Congregationis caritatis opera non suffragentur, cum is, qui iustitiæ muneri non paret, Dei præceptis resistere censeatur: & ibi fœlicius imperatur, vbi studiosius, & alacrius obeditur.

2 Si quid controuersum, aut dissentiones inter fratres (quod Deus auertat) exortæ fuerint, eas Præpositus vbi primum rescierit, dirimere quam celerrimè studeat: & insuper caueat, ne in die solemnis conuentus iurgium, aut dissidium vllum gignatur; Nam si diligimus vitam, & auemus dies videre bonos inquiramus pacem, & assequemur eam.

Si quid

Si quid aliud præterea, quæ à nobis Decreta sunt, Societati curandum esse videbitur, exposcente necessitate, Præposito ius sit imperandi suis Collegis, vt in Barberinum, aut in quemuis alium locum, quem illis commodiorem duxerit, conueniant, & per Secretarium indixerit. Et conuocato Concilio, quicquid per sex illorum suffragia fuerit Decretum, firmum ratumque à Confratribus habeatur. Nam illis tantum auctoritatis iniungimus, vt omnium, quæ è Societate nostra fore arbitrabuntur diligenter curam agere valeant; At Leges innouare, nec veteres abrogare absque consensu totius Collegij per suffragia duarum partium Sacerdotum exquirendo, nullo modo possint. Omnium nostrum menti hærere cupimus, eos, qui benè imperant alacriter paruisse necessum est; & qui modestè parent, qui aliquando imperent, digni esse videntur.

Si Præpositus, poscente Lege, nondum suo munere functus, mortem obierit (pro quo senas Missas ab vnoquoque nostrum celebrandas mandamus) Secretarius potestatem, & Præpositi munus subeat: & primus ex Consiliarijs Secretarij munere fungetur. Et in locum Consiliarij sufficiat ex Confratribus Præpositus quem magis idoneum duxerit.

Sin autem Secretarius, aut Depositarius vita cesserit; ex consiliarijs deligat Præpositus, quem potissimũ censuerit pensum sibi iniungendum diligentius accuraturum. Et in locum Consiliarij, quem ipse Præpositus volet ex Societate nostra plenó iure substituat.

6 Si quis itidem ex Consiliarijs, aut Præfectis vitam dimiserit, in eius locum sufficiatur à Præposito, qui merito deligendus sibi videbitur.

7 Pro cęteris singulis Moderatoribus, nondum suo munere adimpleto, Animam agentibus, ab alijs superstitibus Gubernatoribus, dignitatis causa, & laboris mercede sex Missas celebrandas sancimus, & non quinque, vt supra mandatum est. Moderatores vocamus Secretarium, Depositarium, & sex Consiliarios, quorum Præpositus est Princeps: Præfectos itidem eiusdem gratiæ, & priuilegij participes esse sancimus, cum præ alijs Confratribus maiores subeant labores.

DE SECRETARIJ OFFICIO.
Cap. XXV.

1 FRatrum Nomenclaturæ siuè Catalogi Societatis nostræ liber penes Secretarium erit, in quo iuxtà Alphabeti seriem, clarè, & distinctè Nomina Confratrum litteris consignata extent: & insuper in locum Defunctorum nomina quoque eorum, qui fuerint suffecti, eadem Lege seruata, accuratè conscribantur.

2 Nominibus Fratrum vita functorum Crucis signum infigat, vt in annua recensione habenda, Nomenclator Defunctorum nomina consultò præterire valeat: ne quis exhausto pudore, aliqua scurrili responsione ijs, qui tunc aderunt, cum scandalo risum excutiat.

3 Si quis stipem, quando soluenda erit, repræsentare, aut

aut respectiuè referendā omiserit, Nomen institutis nostris minus obtēperantis in eodē libro diligenter notare curabit; & alia omnia, quæ Præposito, & suis Collegis pro bono Societatis regimine notanda videbuntur.

Nomina quoque Defunctorum Fratrum describat, 4
quādo à Præfectis de illorum interitu certior factus erit: & deindè an missæ (vt nostrum est) pro ipsorum Animabus celebratę fuerint.

In die Congregationis à Secretario, suo munere functo, Nomenclaturæ librum vetus Præpositus accipiens, 5
Nouo exhibebit; & ipse suo Secretario seruandum mandabit, vt eadem munera in annuo imperio sibi ascripto iugiter adimplere valeat.

DE DEPOSITARIJ OFFICIO.
Cap. XXVI.

QVæstoris, siuè Depositarij partes erunt primò vt recepti, & expensi Codicem asseruet: & omnia, quæ ex vsu erunt Societati, diligenter curet. Videlicet, vt in Ecclesia prædicta Fratres decenter munia sua exequi valeant. Pecuniam exigat, sumptus necessarios Præpositi assensu faciat; & exactum, & expensum dirigat in Codicem: Quem simul ac suum pensum absoluerit, reddita suæ administrationis ratione duobus ex fratribus pragmaticis, quibus nouus Præpositus mandauerit, vnà cum ea, quę superererit pecunia, nouo exibeat Quæstori; pręsente Præposito subdicto, & eius assensu.

DE

DE SVPELLECTILIS CVSTODIBVS Officio. Cap. XXVII.


SVpellectilis Asseruatores in solemni Societatis nostræ Conuentu præstò erunt omnibus iis, quibus interesse, munus suum expostulare videbitur; & quicquid à Præposito, & suis Collegis Congregationis causa fuerit demandatum, studiosè exequi nitantur: In obeundis in solemni Congregatione muneribus, Fratribus ceram dispertiant; dispertitam coacceruent, adsint Comitijs, & dispartita congregent suffragia, & supellectilia, quæ sibi adseruanda credita fuerint, diligenter tueri studeant.

Quibus omnibus Dei amore à nobis seruatis, Societatem nostram, Dei Genitricis Mariæ in hac sacra Palestra præpotentis Ducis nobis assumptę, meritis, & SS. Ioannis Baptistæ, & Antonini intercessionibus innixã, & Legibus his decoratam, atque munitam, Religionis gloria iugiter florentem (annuente Deo) perpetuò regendam pro comperto habemus. Per eas nanque imperantur bona, & pænis coercentur mala. Obsecramus igitur, & in Domino obtestamur omnes in hac Societate Fratres electos, & cooptandos, vt in via Domini, propriæ saluti enixè consulendo, prouentu maximò progredi nitantur; oscitantes etenim, aut segniter operantes regredi cum rubore videntur, & statim pæna sequitur erratum. At verè beati, quos Deus in operibus pietatis inuenerit vigilantes; Nam illis eò in Cælis augebitur gloria, quò magis in terris ab ipsis erogabitur caritas.

AGGRE-

AGGREGATIO LXXII. MVLIERVM

Societati nostræ nouissimè facta.



CONGREGATIONIS nostræ festiuitate, assensu, & mandato Illustriss. & Reuerendiss. Archiepisc. nostri Florentini, in Ecclesia S. Siluestri de Barberino primò solemniter celebrata, quædam Mulieres Dei amore excitæ suppliciter petierunt, in caritatis operibus se quoque exercendi, sibi occasionem dari, quò facilius à Deo, apud quem copiosa est redemptio, misericordiam assequi promererentur. 1

Nos verò eiusdem Illustriss. & Reuerendiss. Archiepiscopi Pastoralibus disciplinis, & monitis propensè hærendo, earum votis libenti animo annuimus; & duas supra septuaginta religionis, & honestatis spectatas Mulieres in hoc nostro Collegio cooptandas, & in Catalogo nostrorum Fratrum connumerandas, at seorsum describendas censuimus, atque mandauimus. 2

Compluribus autem ad huiusmodi caritatis studiū vndique anhelantibus, earum animi propensioni ad optimè promerendum ardenti studio suffragari cupientes, circa ipsarum numerum obseruari mandamus, quòd in cap. III. nostræ Societatis Superioris assensu sancitum fuit.

Qua-

3 Quarum singulæ quotannis Missam in honorem Assumptionis Mariæ Virginis, & Sanctarum Christinæ, & Catarinæ Senensis celebrandam curare tenentur, sub quarum inuocatione facta est hæc Aggregatio; & insuper Missas tres pro Anima vniuscuiusque Sororis, quæ vita decedet, & intra mensem à die intimationis Sororibus ipsis tantummodo à Præfectis nostris ad amussim faciendæ, vt in Capitulis nostris mandatum est, celebrandas curasse, Præfectum illum sub cuius ditione ascriptæ fuerint, accuratè moneant.

4 Nulla ex sororibus in Societate officium vllum obire valeat: neque annuæ solemnitati in Ecclesia sancti Siluestri de Barberino recolendæ interesse teneatur. Si qua verò affuerit, lumina non aliter, ac Confratribus tàm in Ecclesia, quàm in Processione seorsum incedentibus à supellectilis Asseruatoribus dispertiantur. Nullaque alia onera, quàm quæ in præsenti Aggregationis capitulo sancita fuere, volumus iniungi.

5 In locum defunctæ sororis sufficiatur alia, quæ à Præposito Congregationis fuerit eligenda proposita: Etsi plures ambierint eam, quæ vota sibi suffragantia plura fuerit assecuta, sororis præmortuæ sortiatur locum: & nisi alia aliam votis præstiterit, rem ad sortem referendam curetur. Et pro Anima sororis vita functæ missas tres mense nondum exacto à die Congregationis ingressus celebrandas curare suffecta teneatur.

6 Sororum electio fiat per nouem nostræ Congregationis Gubernatores, & Præfectos infra duos menses à die

die sororis obitus; & nisi omnes, quò Præpositus per Secretarium indixerit, conuenire potuerint, aut noluerint, quicquid per decem ex eis supradictis fuerit constitutum irritum fieri nullo modo possit: etsi Præposito facienda videbitur in solenini nostræ Societatis conuentu, illius mandato parendum erit.

Assertiones de adimpletis munerib. sibi iniunctis, sorores ad Præfectum sui municipij trāsmittere teneantur intra mensem à die intimationis; quas deinde Præfecti, in Congregationis solemnitate Secretario nostro repręsentare debeant. 7

Si euenerit (quod prohibeat Deus) aliquam earum Officio minus satisfecisse suo; nisi intra mensem Præposito constiterit, id casu, non dedita opera, euenisse; modo, quo supra sancitum est, in locum illius, quæ deliquerit, sufficiatur, quæ caritatis opera præstandi magis studiosa censebitur. 8

Et ita preces apud Deum studiosè effundendo, & sacrificia offerenda propensè curando, Consorores nostræ ornabunt lampades suas oleo caritatis; & mundi huius periculis defunctæ, Diuino sponso adueniente, meritis Dei Genitricis Mariæ, & sanctarum Christinæ, & Catarinæ Virginum intercedentibus, comite prudentia, inter discumbentes ad Cæleſtes nuptias, à Diuina Misericordia promeritum, sibi vindicabunt locum.

LAVS DEO.

E IN-

INDEX CAPITVLORVM,

& eorum, quæ in eis continentur.

Et

FINIS.